

Litt. 35m



NATALE SOLUM.

ACCEDUNT DUO CARMINA LAUDATA.

35m

Litt.

Bibliothèque Maison de l'Orient



171958

NATALE SOLUM.

ACCEDUNT DUO CARMINA LAUDATA.



li. Ho. 35m

NATALE SOLUM.



CARMEN PRAEMIO AUREO ORNATUM

IN CERTAMINE POETICO HOEFFTIANO

ACCEDUNT

DUO CARMINA LAUDATA.

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA
AMSTELODAMI

MCMXXV.

NATALE SOLUM.

NATALE SOLUM.

CARMEN

HERMANNI WELLER

ELLWANGENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFTIANO

PRAEMIO AUREO ORNATUM.

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXV.

NATALE SOLUM.



Omne solum forti patria est, ut piscibus aequor

Et volucris vacuo quidquid in orbe patet. —

Rursus amor patriae ratione valentior omni.

Ovidius.

Candida Bistonis nondum decesserat oris

Nix et inumbrabant nubila tetra salum.

Immiti Boreas agitabat flamine Pontum

Et gemitus longos unda recurva dabat.

Naso Tomitanae stabat prope litora terrae

Prospiciens vastas flebilis exsul aquas.

Nubibus umbrosis curae maestique doloris

Tecta relegati pectora vatis erant:

Pectora felici quondam pacata quiete,

Nunc tamen Euxinis assimilanda fretis.

Tristitia pressus desiderioque suorum

Ingemit amissos conqueriturque lares.

Penelopes fertur sic indoluisse maritus,

Naufragus in tumidis cum veheretur aquis,

Vel cum surgentis cuperet glomeramina fumi

Cernere de patriis, pignora grata, focis.

Iamque dies lente sua lumina clausit et umbrae

Fluctibus et campis incubuere graves.

Exspectata diu, longi medicina doloris,

Non erat in toto visa carina mari.

Sic frustra dulces speraverat ille salutes

Et dominae fida verba notata manu.

Non aderat navis; spe deceptusque poeta

Saucius aerumnis in sua tecta redit.

Interea Getici iuvenes in litore lignis

Exstructis rutilas supposuere faces,

Ut, si navigium tenebrosa nocte veniret,
Tutius ad curvum litus haberet iter. —
Vatis erat calefacta domus gratique sonabat
Ignis in ardenti flamma canora foco.
Confugit solitam vates ad carminis artem,
Pelleret ut curas deciperetque fugam.
Sic versus modulans paucas exegerat horas,
Cum subito clamor laetus ab urbe sonat:
Post multos aderat tandem sperata labores
Prora, Tomitanis advena cara viris.
Venerat externis cum mercibus hospita navis,
Optima sed profugus dona poeta tulit:
Mitis enim coniunx caras ex Urbe salutes
Miserat et tristi dulcia verba viro.
Ille suis chartas labris admovit amatas
Auspicioque diem gaudet abire bono.
Adque refulgentis lumen geniale lucernae
Perlegit optatas ore tremente notas.

Vix tamen ad finem pervenerat ille legendi

Secreto scriptum condideratque sinu,

Cum servus conclave Getes alacerrimus intrat

Laetitiae causam significatque novam:

„Hospes adest peregrinus!” ait, iussusque venire

Advena Nasonis triste cubile subit.

Constitit ad postes, vultus advertit honestos

Faustaue praemissâ verba salute dedit.

Arridens madidam iuvenem iubet ille lacernam

Ponere sic placidis alloquiturque sonis:

„Nave peregrina Geticas delatus in oras

Quisquis es, hospitium sit casa nostra tuum.

Unde venis, accepte mihi, quas tendis in urbes,

Cur libet extremam visere barbariem?

Hospes enim rarus nostris adlabitur oris:

Ergo tu salve terque quaterque mihi!

Voce salutasti Danaûm me, care, sonora:

An tu Palladia civis ab urbe venis?

Solivagus certe multum telluris obisti:

Dic mihi: caelestis Romane visa tibi est?"

Advena nigrantes nitida de fronte capillos

Reicit et suavi talia voce refert:

„Sancte poeta, tuam nondum devenimus Urbem

Nec limen tetigi nobilis Ausoniae.

Pastor eram, natale solum mihi Trinacris Hybla

Est, ubi melliferis sunt loca plena thymis.

His ego lanigeras pascebam ruribus agnas

Et norant calamos omnia prata meos.

His meus in silvis cantus resonabat amoenis

Et facilem somnum fagus amica dabat.

Hic mihi Maeonii sordebat gaza tyranni

Et gregis exiguo foenore dives eram.

Sed deus obliquo spectat felicia vultu,

Saepe serenato fulmen ab axe ruit.

Nos quoque dum placidis stulte confidimus auris,

Obruit ah gelidis pessimus imber aquis.

Compede me grata mollis Galatea tenebat
Iamque videbatur mutuus ille furor,
Cum ferus in nostros Corydon irrupit amores,
Torvus ut in laeti iugera ruris aper.
Multa suis armenta boum pascebat in arvis
Ille nec exiguas accumularat opes.
Nec mora, pugnaci poscens certamina vultu:
„Carmine quid possis, experiamur!” ait.
Annuimus. Patulas inter consedimus ulmos
Et pugnae iudex ipsa puella fuit.
Cum pare quisque sua circum sedere bubulci
Laetaque pastorum cetera turba simul.
Sol novus Hyblaeos decorabat lumine campos
Dulcis et e pratis mollibus ibat odor.
Ver erat et zephyri mulcebant pectora lenes:
Ruribus in cunctis scepra tenebat Amor.
Daphnin ego cecini pulchraeque Amaryllidis ignes,
Carminibusque fuit Musa secunda meis:

Vidimus arrectas aures advertere Faunos,

Et Nymphae lepidis obstupere sonis.

Turgidus ut Corydon rauco ferit aëra cantu

Horrea composito foenore plena canens,

Obstrepat immundus foedis balatibus hircus

Vixque tenet risus rustica turba malos. —

Finis erat cantus; pastorum maxima plaudit

Pars, mea non ficta carmina laude probans.

Parsque — nec invidi — celebrat Corydonis ineptum

Mugitum, domino digna caterva suo.

Iamque mihi mea vota fovens spes blanda subibat

Iamque videbantur praemia parta mihi,

Cum Galatea meos nunquam miserata dolores

Rivali teneram porrigit ipsa manum.

Nec satis hoc habuit: victrici fronde coronat

Illius impuras caeca puella comas.

Torpueram, pectusque fuit quasi fulmine tactum

Et velut obscura nube fugata dies.

Non ego iam vidi vestitos lumine campos

Nec flores, verni sidera pulchra soli.

Nec mihi iam patrii maesto placuere penates

Cedere Sicaniis constituique focus.

Quid mihi cum patria, Corydon ubi iungit amores,

Quid mihi cum Siculo, quod premit ille, solo?

Est invisā mihi tellus natalis et aegra

Conda salutari sunt relevanda fuga.

Me iuvat ignotas profugum percurrere terras:

Omne solum patria est hospitiumque mihi.

Qua patet, immensum patria mutavimus orbem

Civis et immensi devius orbis ero.

Sic mea deficiens requiescet denique cura

Spesque mihi vitae liberioris erit.

Si revocas patriam: sunt omnia Numine plena,

Lucida post noctem surgit ubique dies.

Novistine polos, ubi non vaga sidera fulgent,

Candida non tacitos Luna gubernat equos?

Dic: ubi non vernos producit terra colores,
Arva licet longo frigore vincta gemant?
Hic quoque, barbaricis quamquam foedata capillis,
Ora vides hominum non odiosa tibi.
Hic quoque sunt tostae, Cerealia munera, fruges
Purpureusque levat pectora maesta liquor.
Numina Pieridum toto dominantur in orbe
Musaque nectareum fundit ubique melos.
Hospita panduntur quo non in litore tecta?
Mite peregrinis hic quoque numen adest. —
Juppiter, extrema qui me tutaris in ora
Quique meas semper dirigis ipse rates,
Tu mihi divini monstrasti limina vatis,
Quo nihil Ausoniae clarius ora tulit.
Tu, precor, o referas grates, quas pastor Alamon
Debebit magno tempus in omne viro.
Semper agat, concede, suos feliciter annos
Et veniat vitae mollior aëra novae.

Carmina mellifluis manent ex ore poetæ

Inque dies vena divitiore fluant.

Da reditum profugo; dominam carosque sodales

Aspiciat sanctos possideatque lares.

Me, precor, ignotis iubeas errare sub astris:

Sponte — nec a caris finibus — exsul ero.

Tu vero veniam, vates, concede moranti:

Mox ego discedam, maxime, sede tua.

Mox alio faciemus iter: nec frigora terrent

Et venient blandi vere tepente dies.

Crede, per Ausoniam iam nunc levis aura Favoni

Spirat et in campis gramina laeta virent.

Denique Sarmaticas mulcebit flatibus oras

Ver madidis durum dissoluetque gelu.

Cum nive diffugient maesto de pectore curæ

Laetitiamque dabunt tempora verna tibi.” —

Dixerat. Infelix mansueto lumine vates

Aspiciens iuvenem talia dicta dedit:

„Accipio tua vota, puer facunde, precorque

Numina, sit velis aura secunda tuis.

Sed tamen hoc miror te, qui videre bonorum

Optimus, antiquos destituisse lares.

Nos quoque, crede, dolor quid sit, cognovimus, ater,

Et nostrum pectus vulnera saeva tulit.

Sed prius in pontum celsus ruet Apenminus,

Quam patriae nostro pectore cedat amor.

Huius inexstincti scintillam nescius ignis

In duro tenuem tu quoque corde foves.

Illa dies veniet, tristi quâ tecta favillâ

Viribus exsurget flamma pusilla novis.

Nauta licet multos aequor sulcaverit annos

Nec curet patriae dulcia rura suae,

Nocte tamen sera referunt vaga somnia pinum

Rursus ad optati litora casta soli.

Et subeunt valles, subeunt viridantia prata,

Per quae dulcisonis rivulus errat aquis.

Arbor amica subit, puero quae floris honorem
Praebuerat tenera pomaque dempta manu,
Et nemus umbrosum, cuius sub fronde virenti
Dulce melos querulo gutture fundit avis,
Tectaque clamoris pueri resonantia ludis
Et pia dilecto cum genitore parens.
Atque subit primi formosum tempus amoris
Fixaque virgineis oscula laeta genis. —
Huic sumus addicti terrae, qui vivimus, omnes,
Quae nobis nutrix almaque mater erat.
Lumine nascentes nos haec aspexit amico,
Huius et in nostro sanguine sanguis inest.
Barbarus effuso luxu circumfluis Urbis
Aspera sollicito pectore rura petit:
Mitius hinc illi resplendent lumina Phoebi,
Pulchrius ambrosia sidera nocte micant.
Purpureusque rosae color hinc iucundius ardet.
Mollia candidius lilia vere nitent.

Nec leo tam ferus est, ut non sua regna' requirat,

Et redit in silvas tigris acerba suas.

Mene putas profugum carae telluris amorem

Unquam pectoribus pellere posse meis?

Aeterno, Superi, qui numine cuncta movetis,

O mihi iam pennas mittite Daedaleas:

His ego sublimes tranabo mobilis auras

Attingamque meae limina sacra domus:

Hic mihi secedant fesso de corpore sensus

Languentesque oculos claudat amata manus. —

Quid moror ah votis! Iterumque iterumque saluto,

Advena, te; profugi sit tibi grata domus.

Haec mihi festa dies celebrandaque vestibus albis,

Quae mihi te, felix o peregrine, dedit.

I, mihi narrando languentem decipe noctem

Paucaque longinuae tempora deme fugae.

Exiguas ne sperne dapes nec, quae tibi Naso

Apposuit prona mollia vina manu!"

Finiérat vates. Calidi dedit aucta camini

Stipite iucundos lucida flamma sonos.

Nectareum Lenaeus honor diffudit odorem

Et locus ardenti lampade festus erat.

Numine nescio quo canit inspiratus Alamon

Leniter Hyblaeis carmina cara viris.

Tu quoque, Naso, tuos non iam visure penates,

In patria dulci per breve tempus eras.

S I R M I O.

C A R M E N

ALEXANDRI ZAPPATAE

COMACLENSIS

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATUM.


EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA

AMSTELODAMI

MCMXXV.

S I R M I O.



Olim Benaci iam tum surgentis ad oras
Aequoreo fremitu, vastam coluisse cavernam
Horrendum fertur portentum ingensque draconis,
Sirmio, porrigitur cui longa in iugera corpus
Et caecis alte ora patent exserta latebris,
Eoos montes perque Indi qualia foeda
Late stagna furunt: immensi impervia texta
Tergoris, et Tyrio minitantes murice cristae,

Sanguineaeque iubae, ferratique agmine dentes
Tergemino, Stygios oculis vibrantibus ignes:
Squamaram sed dirus honos, ardentia cocco
Caeruleis maculosa notis horrentia gyris
Tergora, terrificae sinuosa volumina caudae:
Qua vastus se mole ciet, quas ore cruento
Taeter agit spumas, quibus acer faucibus afflat
Tartaream tumido ructans e pectore pestem!
Exsiliens igitur gremio telluris ob atram
Improbus ingluviem, rapide nocturnus obibat
Omnia collustrans oculis, raptamque solebat,
Optatam sibi nempe dapem, cenare puellam.
Quadam nocte lacus deserta ex more pererrans
Occursu obstupuit praestantis corpore nymphae
Orisque egregio decore, aevi et flore nitentis.
Illius indomito divina in pectore amoris
Floruit insoliti magica velut arte poesis,
Oblitusque sui formosam ardere puellam

Coepit et illecebris contendit flectere, at illam,
Horrentem monstri detestatamque figuram,
Gnaram et Pasiphaës miserae prolisque biformis,
Iuge perurgentis nec blandimenta precesque
Nec rursus movere minae. Tum victus et exspes,
Consilio at saltem satagens et fraude potiri
Votis ille suis, miram patrare fideque
Maiorem aggreditur rem: cunctis namque diebus
Sole sub occiduo visus discedere, ut ante,
Per freta perque lacus et per sinuosa fluenta
Avia persequitur, carpitve arcana viarum
Lapsibus ambiguis, in taetro atroque recessu
Et solam et gelida pressam formidine mentem
Captivam linquens: aberat quoties procul hydrus,
En equitis specie iuvenis pulcherrimus antro
Insultantis humo, spumantiaque ora regentis
Sedulus adstabat — pavidæ qui nempe puellæ
Primitus adveniens implevit spemque fidemque

Inde feri prorsum discessus esse peractos —
Delirumque suum, quo iam flagrabat, amorem
Haud detrectanti furtim deferre solebat.
At simul infelix nono post mense solutam
Edidit e gremio subolem sub luminis auras,
Infantem fotura sinu complexa lacertis,
Protinus effigiem, dictu mirabile! parvi
Horruit horribilem membris atque ore draconis,
Omnia persimilem patri, qui callidus omni
E latebris simulans praedatum erumpere nocte,
Mox cultum formamque novans vultumque virilem,
Insignis remeabat eques, celsusque sub armis
Ut sic ille suae mutata veste placeret.
At miserae hoc oculos conanti avertere visu
Cervix et rorans oculorum induruit humor,
Totaque dirigit, saxo et concrevit oborto,
Immotusque silex scruposaque mansit imago,
Anguicomae veluti visa cervice Medusae;

Turbine quae subito validi circumdata venti
 Inque undas est rapta lacus, distentaque late
 Cui placet in speculo iacuit paeninsula glauco.
 Hanc praeceps, nulla iam spe tum fretus inopsque,
 Aera et horrissonis complens ululatibus, ecce
 Sirmio subsequitur mediisque immergitur undis,
 Unde inhians patulis vel nunc e faucibus ignes
 Evomit, e ruptis veluti fornacibus Aetna,
 Elicit et scatebras vivacis sulphuris, auras
 Iuge graves halans passim per lata locorum.

Haec vetus egrediens aevi dat fabula nocte:
 At nostra a sagis nimirum aetate remota
 Commentisque procul, fatorum oblita suorum
 Et tragici generis tragici plane immemor ortus,
 Insula nonnunquam, paeninsula crebrior ipsa,
 Sirmio sola iacet, vitreis et candet in undis,
 Gemma eadem rutilans nec non et blandus ocellus



In liquidis lacubus quotquot stagnisve sorores
Inque mari vasto perfert Neptunus uterque:
Hinc atque hinc sinibus Venetae contermina terrae
Frondifera recubans, tremula inter caerulea laeti
Benaci, et placide prostanti cernua Baldo
— Quem mitis nuper Christi sacravit imago —,
Attonitis oculis spectantum candida virgo,
In prece iam mentem prorsus defixa silenti,
Apparet, sensuque carens afflata superne.
At cur unda lacus, austro spirante vel euro,
Undique sulphureos latebris exsuscitet imis,
Quales Euganeis Aponus sub collibus ater
Albanusve lacus diffundit nempe vapores,
Vel nunc causa latet, virus nisi forte draconem
Efflantem censes: vixdum rarusque gravisque
Omnem circuitum pluvius diverberat humor,
Vis furit intus aquae, totumque exsultat et imo
Eruptis bullis effervere cernitur aequor.

Scilicet haud dubiis exaestuat ignibus atque
Omnis inextinctis subter natura locorum
Et caecus fornix, faucesque antiquitus illas
Horriferos aestus, subito quandoque fragore,
Flammarumque globos nec non liquefacta, Vesaevi
Instar, crediderim saxa eructasse, vel Aetnae
Fumae et Inarimes, ruptis cum saepe caminis
Mugitu ingenti circum grassantur in agros:
Postea at insolitis telluris motibus omne,
Montani aut laticis cumulis atque impete vasto,
Abrupta compage, suo sub pondere nutans
Discessisse solum et summum cratera sepultum
— Excussis vinclis tum primum sedis avitae
Liberiore lacu super illabente ruinas —,
Sic tamen ut caecis quamvis occlusa cavernis
Nunc quoque clam vigeant aestusque incendia volvant,
Imaque terribilis Vulcanius ardor hiatus
Torreat assidue, ac summa ad fastigia saepe

Fervidus exsiliens, vastum simul aequor adurat
Et vivum circum redolentia flamina sulphur.
Sunt et qui quondam vicini collis ad imum
Fonticulis laticis passim patuisse calentis
Spiramenta putent, quae longa obstruxerit aetas,
Et rimas parvosve cavae compagis hiatus;
Aut secus aeratis tubulis e divite vena
Gurgitis expromptam medii mortalibus aegris
Ubertim lympham inque usus fluxisse salubres.

Ad virides igitur tellus peramoena recessus
Iam patet, ampla lacus quae se dextrorsus in undas
Protendens, eadem paulatim cogitur ultro
Tramitem in exiguum, rursumque intorta superne
Ipsa relaxatur, collis dum desinit instar.
Et nivibus quoties resolutis pondus aquarum
Exundat magis, aut sero cum vespere venti
Consurgunt urgentque lacum, transversa fremens tum

Pervadit breve fluctus iter et contegit omne:
Sic nempe ex vero duplici cognomine ducto
Insula nunc vulgo nunc et paeninsula fertur.
In parvum hic subit unda sinum, lenisque quiescit:
Ad ripam egressis nitet hic humus omnis in omni
Undique circuitu, ridens ac mille colores
Mille effundit opes veluti iugi illita vere:
Ut quondam, has quoties laetas inviseret oras
Lesbia praefulgens cupido formosa Catullo,
Hic illic una spatiantum saepe benigna
Gressibus innumeros lentis submittere flores
Est visa, et fessis umbras praebere virentes.
Hoc dudum ille sinu iam fama notus eodem
Pineus insenuit Vatis volucerque phaselus,
Qui remis ausus campos tentare marinos
Velorumque alis, immania littora Thraces
Troados atque adiit fines, relegensque natantes
Cycladas, Aegaeae frangunt ubi saxa procellae,

Invisit claramque Rhodum, Delumque Parumque,
Nec semel impavidus metuendas aequoris iras
Pertulit Hadriaci, donec vetera otia tandem
Optantem Vatem post longa ac dura viarum
Reddidit incolumem Laribus villaeque paternae:
Rursus at Ille suum tuta hac statione phaselum,
Dum ixit, memor usque tuens monstrabat amicis,
Tot maria emensi repetens discrimina, casus
Alternasque vices, sollemni ac denique ritu
Tyndaridis geminis vovit lucentibus astris.
Haud procul hinc habuit votivam Iuppiter hospes
Quae exstat adhuc aram: nam linquens culmen Olympi
Hosque locos iam saepe petens et amoena vireta,
Hospitium Altitonans hominis sub mole subibat,
Laeta et sub viridi miscens convivia fronde
Hospitii edocuit faciles ius omne colonos,
Cuius nempe fidem, auspice iam tum Numine, servant:
Hanc igitur viridi surgentem caespite ad aram

— Haud pridem effossae in lucem retulere latebrae —

Et donis pressam et sertis et ture calentem

Sacra patrans Vates, tenerorum lusor amorum,

O quam saepe tibi nugaces, Lesbia, versus

Absenti aut coram, et Bacchi libabat honorem!

Saepe et Rhoeteis fratris degentis in oris

Sollicitis reditum poscebat Numina votis!

Frustra, namque aliquot solis post cursibus illic

Crudelis vota atque simul spem Vatis et omnis

Fallens Parca domus iucundum lumen ademit,

Ut ductam in miseros elegos fletumque querelam

Hortalus audierit. Nec non a divite patre

Hoc ipsum ad limen saepe, hanc ipsam ad Iovis aram

Ad lautas epulas pictis discumbere iussi

Convenere toris, inito tum foedere iuncti,

Pompeius Caesarque simul: sed flore iuventae

Iam primo Vates impune ante ora parentis,

Inter nectareo spumantia pocula Baccho,

Amborum caecum primoris laudis amorem
Ac tectas iras liber pungebat iambis:
Nec multum arrisit praesentia Numinis illis
Hospitis hospitibus, quos decertare vicissim
Ambitione mala, nec non armisque nefandis
Polluere et patriam fraterna caede parantes
Ultrici scelerum Nemesi devovit, ut alter
Crudele hospitium Phariis sit nactus in oris,
Alterum et abstulerit, coetu stipante suorum,
Coniurata cohors et Bruti civicus ardor
Ipsaque Caesareo cognomine Curia pollens.

At coram est patulus, facile et supereminet omnem
Undique circuitum frondoso vertice collis,
Quem videas apicem molli demittere clivo:
Exstitit in medio dulcis domus alta Catulli
Artibus atque opibus locuples, sacrasque ruinas
Luctantes fatis vel adhuc ostentat et annis:

— O qui conventus, o quanta in sedibus illis
Gaudia, mirifice lepidis sermonibus aucta
Cantibus et resonis, sociisque ad plectra choreis
Musarumque iocis, et non in mane timenda
Libertate novum! Festis quam saepe diebus
Exedria ad celebres epulas aulaeque patebant,
Quae vina in mensis aderant! Nam Massica praeter
Et Superis Rhodia ac mensis accepta secundis,
Hetruscis pateris Lalage praebente, Falernis
Rhaetica fervebant certantia munera cellis.
Sic epulum laete in multam producere noctem
Collibuit saepe, et culpa potare magistra
Nomina seu Latio, Graeco seu more placeret:
Optatam atque alii pacem a civilibus Urbi
Orabant bellis, tenerorum foedera amorum
Mutua iurabant alii mansura per aevum
Mutua amicitiae, castrenses denique casus
Et saeva haud derat qui tum discrimina rerum

Proeliaque attonitis scite narraret amicis,
Sollemnesque Deum ductos ad templa triumphos:
At circum interea, quotiesve alterna propinant,
Cernere erat madidum sparso stratum omne Lyaeo —.
Ad summi intendit si quis fastigia collis,
Hinc aprica patet Cereali gramine vernans
Lataque planities, umbris hinc frondet amoenis
Et silvis fruticum tellus et saepibus altis,
Agmina ubi volucrum gaudent suspendere nidos,
Aera et adscensum mulcentia dulciter implent
Cantibus antiqui resono modulamine Vatis.
Excelsas censes ad Olympi adscendere sedes,
Floribus omnigenis adeo et fragrantibus herbis
Late cuncta halant, atque indiscretus ubique
Iugis odor veris nares delenit euntum!
Tam lene adspirans et inundans aura salubris
Pectora, membrorum relevat sine pondere pondus!
Pacali speciosa coma, speciosa virenti

Germine, Palladiae vetus hic pinguescit olivae
Atque hic silva frequens: nusquam haec felicior arbor,
Nec sibi sola satis laetam e radicibus imis
— Vernantes fundens ut amoena luce smaragdus —
Pullulat in subolem: truncum gens tota parentem
Ambit et heredum molli generosa coronat
Agmine, vivaci faciens spem tarda senectae:
Stipes et annosus, quem non vis ferrea laesit
Aut violat caries, perraro grandinis imbre
Edocet aut oleam nocua robigine tundi
Tam miti caelo, brumae nec flamina saeva
Decutere aut glaciem teneros exurere flores,
Unde nigrorem inter paulatim interque virorem
In pingui baca flavescens liquitur humor.
Has, rigidum imperium raptusque exosa Quiritum
— Unde etiam patrius Divùm collapsus Athenis
Est cultus, doctaeque artes lususque iocique —
Clara Iovis proles confugit Pallas ad oras,

Interdum silvae consertas visa per umbras
Intonuisse armis dextraque agitare coruscam
Aegida, nunc hilari patulis insidere vultu
Collibus, aut etiam se librans alitis instar
Aera per vacuum ceu vera incedere Diva:
Haec iuvenem eripuit Vatem civilibus undis
Infestisque odiis, contempti et Caesaris irae,
Et magnam mentem dulci inspiravit Alumno,
Audentem atque animum lepidi cum divite vena
Indidit ingenii et sensum pulchrique bonique,
Sic tamen ut Musis, esset vel carus Amori,
Atque in Aristippi haud furtim praecepta relabens
Sudatas laurus, tum doctae praemia frontis,
Haud raro cum flore rosae misceret amoenae.

At parte ex alia vel nunc magalibus instat
Ardua stramineis moles, arx bellica quondam
Ingenio defensa loci, ac per saecula tuta

Scaligeris sedes et inexsuperabile vallum:
Cui tum vasta domus, regali et splendida gaza
Traditur et cultu, foribusque haesisse superba.
Ausonias inter non tam se sustulit arces
Arx alia, aut tanto non vertice sidera tangit.
Culmine ab aereo radices turris ad imas
Perfoditur speculis, ac pinnas inter acutis
Horrentes rostris et *Scalae* nunc quoque avitae
Impressa effigies sacer et deprenditur *Ales*.
Illam mille trabes solido de robore, mille
Confirmant vectes ferro et compagibus arctis.
Huc maerens et inops, fatis vexatus iniquis,
Ut tristes profugus nonnulla per oppida casus
Pertulit, haud proprium quam sit cereale salitum
Expertus frustum, haud proprias conscendere scalas
Quam durum, huc Dantes, orbis decus omnis et aevi,
— Impia cui rabies animum nil praeter atrocem
Partis et hostilis violentia liquerat amens —

Confugit, tacito divinus pectore pacem
Exsul suspirans: haec Illum regia cepit,
Quo non ante hospes subiit iucundior alter,
Demulsitque diu *Cangrandis* Scaliger ille
Artium et omnigenum cultu praeclarus et armis
Tum princeps, summi Vatis non digna ferentis
Et tristem sortem et casus miseratus acerbos,
Illius et lapsis satagens succurrere rebus
In patriam immemorem. Ast aulam mox Ille superbam,
Assentatorum et servum pecus atque protervos
Pertaesus scurras, acer contempsit avara
Officia ac studia, atque alias vel pauper ad oras
Maluit impatiens aliis sub solibus exsul
Pergere et indomitus, foedo quam rursus et ipse
In caeno abiectus volvi, dominumque potentem
Sedulus illecebris, blandis et fallere verbis.
Iam formidatam, nunc longa aetate ruentem
Arcem vasta tenent atque alta silentia late:

Quamquam relliquias aliquis perculsa vel ipsas
Visentum subigit praecordia frigidus horror
Et pavor et maeror, caeci quibus illa furoris
In memorem subeunt immania tempora mentem,
Et, misera Italia studia in contraria scissa,
Tot passim infandae caedes et bella cruenta.
Ad ventos urenda filix atque asper in amplis
Carduus exedriis et aplustribus insuper altis
Sibilat: ipsa etiam cohibens spiracula tuta
Pulvereas telas facilis demittit Arachne,
Agmina et alituum lucemque horrentia monstra
Ima tenent, celsoque arcis de culmine servans
Arguit occidui remorantia lumina solis
Et laeva infelix iterat noctu omina bubo.

Te vero in tutam, Sapphus o dulcis Alumne,
(Nam tecum praestat longum concludere carmen)
— Nec semel — excepit sedem natalis adultum

Sirmio, si misere Rhoeteo in littore adempti
— Securum in magna quoniam deprenderat Urbe
Laetum et amore tuae luctus praenuntia fama —
Immitem fratris quires lenire dolorem.
Te rursum atque diu, Iunonia fulgida postquam
Aeriis ventis toties promissa relinquens
Irrita deseruit, simul et fallacibus Urbis
Pertaesum illecebris, habuit, si forte puellae
Te nimis indignae posses vel spretus ab illa
Fatalem flammam et veterem compescere amorem:
Hic tu bile tumens saevisque armatus iambis
Foedis rivales probris adgressus inuris,
Pectoris atque odium vomis implacabile in illos:
Hic teneros elegos — veluti segura repulsae
Iucundis secus et compos sententia voti —
Flebilibus numeris tibi desperatio dictat,
Pumice et exactis tenui indulgere phalaecis,
Prorsus Musarum donis, iubet, in quibus ipse

Totus adhuc vivis, quibus et tua fama superstat. ¹⁾

Teque etiam placido occuluit tua villa recessu

Serius Iliacis reducem feliciter oris;

Dulcis ad inferias suprema ubi munera tristes

Ubere tradideras fletu manantia fratris,

Fratris quem longe non inter nota sepulcra

Nec prope cognatos cineres, miserabile dictu!

Sed Troia infelix, tellus aliena sepultum

Detinet: huc igitur reducem Te blanda voluptas ²⁾

Ac tuus in numerum lente mussantibus unâis

Demulsit lacus, et luctum lenivit utrumque,

Ut curis liber tandem salvere iuberes

Dilectae patriae sollemni carmine terram. ³⁾

Denique supremo perhibent Te tempore vitae

A thermis undisque tuis quaesisse salutem,

¹⁾ c. 75. 76.

²⁾ c. 101. 68.

³⁾ c. 31.

Effetisque novum iam pridem in corpore membris,
Magnae animae tenui nimium velamine, robur:
At votis adversa piis secus atra tulerunt
Fata: oculos lacrimis frustra suffusa nitentes
Et vitae incusans studia illaudata peractae
Lesbia Te, Veneres frustra Charitesque decentes
Et blandus Te flevit Amor, simul agmen Amorum
Atque hominum lepidum quidquid fuit atque venustum,
Nec favor Aonidum iam Te, dulcissime Vates,
Praecoce ab interitu, nec Te servavit Apollo:
Aevi at vere Tibi morbus crudelis et acer,
Et lentus rupit fatalia stamina languor:
Desertum sed enim et sacro squalore rigentem
Nunc nidum praeter, sed quondam laude per orbem
Iam celebrem, tuamet Muis caelata poesis
Et lepor atque decus semper nomenque manebunt.

ETHNICUM FANUM IN TEMPLUM
CHRISTIANUM CONVERSUM.

ETHNICUM FANUM IN
TEMPLUM CHRISTIANUM
CONVERSUM.

C A R M E N

FRANCISCI XAVERII REUSS

ALSATINI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO


MAGNA LAUDE ORNATUM.

EDIDIT

ACADEMIA REGIA DISCIPLINARUM NEDERLANDICA
AMSTELODAMI

MCMXXV.

ETHNICUM FANUM IN TEMPLUM
CHRISTIANUM CONVERSUM.



Haec tibi dictabam post fanum putre
Vacunae. (Hor. I Ep., 10).

Apeninus ubi silvester et arduus amnem
prospectat Lirim, rivumque repente novellum
effundit Melpham, memorabile stat duodenis
a saeculis Templum, Soranae gloria Mitrae.
Heic olim, cum Roma Iovi Venerique litaret,
arula surgebat graveolenti structa Mephiti.
Foeda sed ara ruit, Benedictus nobile postquam
condiderat Magnus vicino in Monte Casino
Coenobium, mox immensâ propagine clarum.
Hinc septem numero monachi petiere Mephitis

sedem pestiferam, fanumque aspergine sacrâ
thureque purgatum Cellam fecere Mariae,
Matris virgineae, nitidis quae purior astris
sontibus heu! nobis atraeque neci tradendis
aeternam peperit, Christum largita, salutem.
O priscae pietatis opus, venerabile Templum!
Araque votivis tot circumsepta tabellis,
quae millena piae testantur munera Dextrae!
His tu muneribus quam suaviter, inclyta Virgo,
corda trahis, Raptrix animorum jure vocata!
Huc ad te properant, spretâ asperitate viarum,
agmina densa, tibi resonos communiter hymnos
fundere laeta, vigil quibus ilicet assonat echo.
Advolat huc Romae Capuaeque habitator opimae,
Marsus item Samnisque et qui colit Hernica saxa,
quique bibit vitreas quas Fucinus ejicit undas,
et qui Caudinas prope Fauces transigit aevum.
Turmatim veniunt, cantantes gutture pleno,

aut Gabrielis AVE recitantes voce sonorâ
alternisque choris, labor ut minuatur eundi:
aequat enim scabros vocis modulatio calles.
Interdum pia turba sedet qua porrigit umbram
lucus, et unde latex erumpens pocula replet
extinctura sitim. Tum, sacrâ se cruce signans,
gustat quisque suum (quod onus, nihil inde gravata,
Marsica fert mulier capiti impositum subrecto)
prandiolum: panem, lac pressum, fumida pernae
segmina porcinae, quibus addita poma nucesque.
Apparet tandem longarum meta viarum,
Septenium Fratrum pagus montanus, ibique
occiduo sub sole nitet silvestre Sacellum.
Ante fores cernis paulisper sistere fessos,
quos juvat expertum lepide memorare laborem.
Ingressi templum modico sub Pane latentem
caelorum Regem, Christum, reverenter adorant.
Arâ dein aditâ Mariali, Virginis almae

sculptile mirantur Simulacrum, quod face multa
cingitur et gemmis radiat rutilâque coronâ;
haecque vorant oculis spectacula, non secus ac si
ipsam conspicerent delapsam ex aethere Divam.
Dulcibus interea lacrimis gena quaeque madescit;
cor micat et pectus sacro deflagrat amore;
labra preces ac vota pio cum murmure fundunt.
Quae prosint animae deposcit turba precantum,
quaeque juvent etiam deceantque levamina corpus.
Poscitur, a membris procul absit morbus, et ignis
a tectis, ab agris locusta ac horrida grando,
a patriâ demum discordia diraque bella.
Munera sed quoniam peccantes nulla merentur,
culpae quisque suas, delendas sanguine Christi,
rite dolet; mox et sacrâ, jam criminis expers,
assidet in Mensâ, morum faultrice bonorum.
Caelesti Dape nutritos has mittere voces
audis: „Christe Deus, rex esto noster, et exhinc

unus tu rege nos, tua jussa facessere promptos!"

Haec etiam cantant; canor et ferit aethera, sacrae
dum pompae longus pedetemptim volvitur ordo,
serica dum laete fluitant vexilla per auras.

Festi praeteriere dies; aurora rubescit,
quae repetenda jubet sua cuique domestica tecta.
Rursus adit templum pia plebs, dictura supremum
cum gemitu lacrimisque VALE, decies iteratum.
Discedunt tandem, meliores inde futuri
Christiadae: vitiis aversi, blandius etsi
alliciant animum; simul et virtutis amantes,
pensa licet virtus quandoque perardua poscat;
discedunt, dociles divini nempe Magistri
discipuli, legioque Duci devota supremo;
egregii demum cives: nam subdita Christo
gens et Caesareis parebit legibus aequis.

N O T A E.

Situm est hoc templum in alta atque abrupta valle Apennini meridionalis, quae metris MXX aequor maris superat, prope locum ubi rivus Melpha exoritur. Densa circum nemora supersunt, et arundineta olim seu canneta exstabant, unde sacra Aedes nomen accepit.

Hic olim fanum surgebat quod pagana superstitio deae Mephiti dicaverat, ad avertendam aëris graveolentiam e densitate silvarum et aquarum corruptione oriri solitam. Hujus cultus existentiam demonstrat reperta ibi columellae pars, in qua haec legitur inscriptio:

N(umerius) SATRIUS N(umerii) L(ibertus) STABILIO
P(ublius) POMPONIUS P(ublili) L(ibertus) SALVIUS
MEFITI D(ono) D(ederunt)

Fanum hoc a septem monachis, e vicino Monasterio Montis Casini profectis, in Aedem Deiparae Virgini sacram conversum est. Hujus templi et monasterii inde ab anno p. Chr. n. DCC mentio fit in Archivo Casinensi, ubi legitur

„principem Capuanum Dagenoldum donasse omnia bona sua ad ecclesiam S. Mariae de Canneto in *Septem Fratrum*.” Pagus ibi conditus, in cujus territorio situm est templum Cannetense, servat ad hunc usque diem nomen *Sette Frati*. Saeculis etiam subsequentibus hoc templum memoratur, tum in archivo Casinensi, tum in actis publicis. Sic anno 989, die XI Novembris prodiit „Bulla” Joannis PP XV, ubi legitur: „. . . . Verumetiam et Monasterium S. Mariae, situm in finibus Beneventanis, in loco qui dicitur Canneto juxta flumen”.

Sacellum hoc Mariale magna gaudet celebritate et visitantium frequentia. Singulis annis huc affluere solent, ex dissitis etiam locis, pii peregrini, quorum numerus sexaginta millia aequat vel etiam superat. Concursus maximus fit mense Augusto, intra octavam Festi B. Virginis Mariae in Caelum Assumptae.

Huius carminis auctorem, priusquam victor in certamine annuo renuntiatus est, diem supremum obiisse nuper e litteris ab uno ex amicis eius ad nos datis maesti cognovimus.

U. PH. B.

A. K.

G. V.

